

de illo scripta sacrauimus? quam denique  
iucūdum cum venerit, quo nihil in terris  
dulcius , iam nunc cogitatione præsumi-  
mus? Verum & si vitam differre cogimur,  
mortem saltem liceat attingere : Immō  
verò vitæ melioris exordium , quis enim  
mortem dixerit? Decubuerat corpore  
quidem languidus, sed animo alaci & in-  
fracto , nullus dolor , nulla consternatio,  
nullus egrediendi metus, nullum manen-  
di desiderium, in illo præsertim habitacu-  
lo, vbi tanto cum honore permanserat  
corporis ergastulum , artusque satis fa-  
tiscentes , velut totidem libertatis suæ  
vincula cernebat , arebat cutis, & vitalis  
calor iofra senile pectus , iam redactus,  
affiduè decessebat , ingeminabant mor-  
bi, rarescebant spiritus, transibat dies ul-  
timus , extremæ horæ tempus instabat,  
nullæ interim querelæ , nullæ ipsius la-  
chrymæ fluebant, cum alienas absterge-  
ret: Sento quid mihi argutus nunc le-  
ctor obiiciat: Fortitudinis hoc potius  
quam sapientiæ videri: non inferior, non  
contendo, sciens & virtutibus inesse cog-  
nationem quandam , & hunc ipsum de  
quo loquimur omnibus usque in mira-  
culum abundasse. Hoc sanè quod seque-  
tur,